

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Disputatio Medica Inauguralis De Medendi Methodo Per Venena

Buetzovii: Typis Johannis Gotthelfi Fritzii, [1762]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn880879262>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow
Med. Fak. 1762
Detharding/Oerthling

Bützow 002



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MEDENDI METHODO
PER
VENENA

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
QUAE EST BUEZOVII,
SUB PRAESIDIO

DN. GEORG. CHRISTOPH.
DETHARDINGII

SERENISS. DUC. REGN. MEGAP. CONS. AUL. MED. DOCT. ET
PROFESS. PUBL. ORD. FACULT. MED. DECANI,

ET

ACAD. h. t. DIRECTORIS MAGNIFICI,

A. MDCCXLII d. Oct.

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

A U C T O R

SAMUEL GUSTAV. OERTHLING

ROSTOCHIENSIS.

B U E T Z O V I I

TYPIS JOHANNIS GOTTHELFI FRITZII, SEREN. PRINC. AUL. ET ACADEM.
TYPOGR.

DISPUTATIO MEDICA INTEGRALIS
DE
MEDENDI METODO
PER
VENENIA
IN ACADEMIA BEROLICANA
SUB PARISIO
ET
DNI GEORG CHRISTOPH
DICTA
ACAD. PL. DIRECTORIS MAGNIFICI
A MDCXXVII A. O.
PRO SUMMA IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
LITERIS EXAMINI SUBMITTIT
SAMUEL GUSTAV. OERTHLING
Rostochiensis
BOSTONIA
Johannes Gottlieb Pfeiffer, Seren, Print. Vir. ET ACADEM.
TYLOGR.



PROOEMIUM.

Non dubito fore nonnullos, qui, rubrum dissertationis huius adspicientes, me sic dictam contradictionem in adiecto committere, atque res deleterias, vimque vitae destruentes, sanitati conseruandae vel restituendae nequaquam idoneas esse, iudicabunt; sed hi erunt fere, qui, vsu loquendi suffulti, venenis plane nullam, nisi necandi qualitatem adtribuere soliti sunt. Verum enim vero, licet facile concesserim,

A

rim,

PROOEMIUM.

rim, millena animantium a toxicis esse per-
emta, tantum tamen abest, vt ab abusu ne-
fando vel improuido, ad legitimum horundem
vsum valeat consequentia, vt potius, dextre
adhibita, catalogum exquisitissimorum reme-
diorum condigne augeant, & effectus exferant,
ab aliis vix ac ne vix quidem exspectandos.
Quaecunque fere medicamenta, vtut in se in-
nocentissima, intempestiue usurpata, in mani-
bus imperitorum sunt quandoque gladius in
manu furiosi. Eccoprotica circa statum mor-
borum exanthematicorum acutorum e.g. va-
riolarum & morbillorum exhibita, retrocesi-
onem horundem, cum eventu vt plurimum
funesto post se trahere solent. Aqua simplex,
quam medici, omni iure, medicinam vniuersa-
lem nuncupare suauerunt, cito hominem iu-
gulare potis est, si quando sub rapidissimo san-
guinis exaestuantis motu frigida ingurgitatur.
Et quis ferrum damnaret, licet ex hoc facta
instrumenta bellica innumerabilem hominum
multitudinem e numero viuentium exturba-
runt, quando versa vice, exinde millena vten-
silia summe necessaria parantur &c. Quidni
ergo

PROOEMIUM.

ergo venenis, simili ratione, praedicata me-
dicamentorum certo respectu competenter?
Haud obstat famosum illud HIPPOCRATIS
iuramentum, quo Doctores Medicinae ante
promotionem, variis adhuc in Academiis, obli-
gantur, se venena non esse propinaturos, mul-
to minus lex apud PLATONEM de LL. lib. II.
reperibilis, vtpote quae venenarios capite ple-
tendos praecepit, in primis si medici fuerint.
Vel me enim tacente, facile patet, sermonem
saltem esse de sceleratis artificiis & mediis, ho-
mines vita priuandi, quae & ratio fuit, cur
medicos olim Roma electos esse narrat PLI-
NIUS Hist. natur. libr. XXVIII. c. 1.

Praefari haec volui, dissertationem inau-
guralem conscripturus, quando, missis aliis
thematibus, materiam de venenis elegi, qua-
tenus decenti ratione adhibita salutarem in C.
H. effectum exserere possunt. Praeëuntem
deprehendi MELCH. FRICCIUM, medicum
Vlmensem, qui in peculiari tractatu de *virtu-*
te venenorū medica Vlmae 1701 edito, omnium
ipſi notorum venenorū notas, vtilitates, &

A 2

anti-

PROOEMIUM.

antidota descripsit, atque ad dubia, quod tuto
in vsum trahi non possint, debite respondit.
At cum non nisi concisa monita, virtutes ve-
nenorum medicas respicientia, in opusculo
hocce deprehendantur; nostris e contra tem-
poribus, varia tentamina cum toxicis nonnul-
lis, felici cum euentu, in morbis conclamatis
fuere instituta, operae pretium existimauit,
spicilegii instar, fusius paulo eadem enarrare.
Vergant haec mea conamina in gloriam sum-
mi Creatoris & salutem proximi, quae medi-
corum summa lex habenda.



CAP.

A



CAP. I.

Generalia monita de Venenis praemittens.

THES. I.

Venenorum nomine intelligenda esse
censeo corpora naturalia, in usus
multiplices, vel a Creatore condi-
ta, vel variis encheiresibus con-
cinnata, in se spectata quidem, in-
nocua, quinimo varia ratione con-
ducibilia, talibus tamen partibus constitutiis praedita,
quae vel promiscue, vel intempestiue, vel quantitate
& minus conuenienti modo, ab animantibus adhibita,
deleterium effectum exserere potis sunt.

A 3

SCHO-

8

SCHOLION.

Instituti ratio haud exigit, atque limites dissertationis huius prohibent, succinctam delineare venenorum historiam: sufficiat ergo prouocasse ad medicos, qui tam sparsim, quam ex instituto hoc argumentum sibi sumserunt pertractandum, quos inter nuncupandus supra memoratus FRICCIUS, & JOH. LINDESTOLPE libr. de *venenis*, animaduersionibus CHRIST. GOTTFR. STENZELII illustratus, it. STENZELII disputatio de *venenis terminatis*, & temporaneis Vitembergae 1730 habita. Ex modo allata definitione, vel si mauis, descriptione satis elucescere crediderim, quae prædicta sic dictis venenis in genere competere autumo. Absit, ut credamus haec operosa & vehementibus qualitatibus imputa corpora in perniciem saltem animalium fuisse condita, quin potius, teste experientia, sapientissimus creator eisdem indiderit proprietates speciales, quae multiplici ratione animalibus brutis & homini proficia esse possunt. Quam ob caussam brutis concessi sunt exquisitissimi sensus, quorum beneficio naturae suae aduersa euitare, & conuenientia, instinctu insito, adprehendere valent. Quinimo nec hominibus deneganda haecce facultas, modo simplicissimo viventi vterentur, nec profusa horundem luxuria & ipsatiabile cibos & potulenta multifaria libandi desiderium gustum & odoratum hebetasset; cuius sensibilitatis adhuc deprehenduntur infibieatis, ex idiosyncrasia varias res auersantibus, vestigia, quas minus constitutas olfactu detegere, vel cibis aut medicamentis, minima licet quantitate, intermixtas promte gustare valent. Pariter sub statu morboſo restituuntur subinde hoc sensuum acumen, sicuti obſeruauit in aegroto, hydrope ascite laborante, qui aqua niuis pro potu ordinario vtebatur, & gustu explorare valebat, unde nix in aquam liquanda fuerat depromta, quamvis locum subiacentem non tetigerat, sed alta manu fuerat collecta. Facillimo proinde negotio enodanda nonnullorum quaestio, an plantae venenatae ante lapsum protoplastorum extiterint,

rint, quos inter numerandus AUGUSTINUS, qui L. I. de *genesi contra Manichaeos* c. 13. a Deo plantas venenatas, spinas & tribulos ante lapsum fuisse creatos, negauit; quem laborem in se suscepit D. MICH. ERNEST. ETTMULLERUS, in *adpend. Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII.* Commemoranda adhuc sententia PLINII in *Histor. Natur.* L. II. c. 63. vtpote qui principiis sectae Stoicae innutritus, haud dubitauit adseuerare: „terram, nostri misertam, & venena instituisse, ne, in taedio vietiae, dirae famis mors, terrae meritis alienissima, lenta nos consumeret abe, ne lacerum corpus abrupta dispergerent, ne laquei torqueret poena praepostera, inclusu spiritu, cui quae reretur exitus, ne, in profundo quaesita morte, sepultura pabulo fieret, ne ferri cruciatus scinderet corpus; hinc genuisse id, cuius facillimo haustu, illibato corpore, & cum toto sanguine extinguemur &c. quod detestabile & Christiano indignum assertum STENZELIUS in *praefamine libri iam memorati LINDESTOLPII excusit.*

THES. II.

Quamvis plurima pars venenorū sit relativa, tamen exinde non concludendum, nulla dari venena absolute talia.

SCHOLION.

Vnanimis fere medicorum est sententia, operationem venenorū non a modo actiuitatis, sed receptiuitatis dependere, hinc omnia venena respectiua esse dicenda, quandoquidem certa animantium genera, ab vsu nonnullarum rerum tantum interficiuntur, quae in nutrimentum aliorum cedunt. Sic v.g. olea expressa insectis, tantum non omnibus, sunt lethifera; nuces vomicae vulpes, canes & feles interimunt; equi lacte ebutyrato pereunt; sues, maiorana interficiendi, hyoscymo & mandragora sine noxa vescuntur; Lucii pisces & anates bufonibus

bus delectantur, & sic porro. Quinimo perniciosis rebus diuturniori vsu adeo adfuescere valent nonnulli, vt ingentem quotidie quantitatem sine vlla noxa deuorare queant. Quod de Turcis aliquis gentibus orientalibus notum, quippe qui opium ad drachmas duas & ultra deglutire soliti sunt. De Liguribus Taurinis narrat VOSSIUS L. I. de *Idololatria* p. 39. hos cicutariam inter edulia salubria & palato grata collocare. Haec equidem aliaque exempla plura deprehendimus ex regno animali & vegetabili esse petita, quibus effectum specifice toxicum denerare animus non est: verum quae ex regno minerali depromuntur venena, tantum non omnia, inter vniuersalia collocari posse, vix ac ne vix quidem dubito. Praecipuum locum haec inter sibi vindicant cobaltum & ex hoc paratum arsenicum, mercurius sublimatus, oleum vitrioli aliaque corrosiva maiori paulo quantitate exhibita, quibuscumque animantibus, lethum inferendo, infensisima. Haud enim exempla deprehenduntur fide digna, innoxie virulentas hasce res deuorantium, nisi ante assumptionem harum, vel in primis viis extiterint effectum horundem infringentia, vel statim antidota fuerint superingesta. De arsenico me legisse memini, vermiculos viuentes in eodem fuisse deprehensos, qui pabuli loco hoc vsu fuere; verum me quidem iudice, vel fallacia subfuit optica, vel haec observatio ad commenta referenda, hinc inde in scriptis abunde reperibilia.

THES. III.

Non sola venena sunt dicenda, quae exigua quantitate, breui temporis interuallo, actiones vitales & animales cum lethali vt plurimum euentu destruunt, sed & quae maiori mole & pedetentim deleteriam suam indolem produnt.

SCHO.

Cap. I. Generalia monita de venenis praemittens.

SCHOLION.

Vnanimi propemodum medicorum consensi, tres saltem notae venenorum characteristicae supponuntur (1) quod summa partium tenuitate & minima mole operentur (2) quod breui virulentiam suam exserant (3) quod generi nero solo sint infensissima, confer. FRID. HOFFMANNI *Med. rat. syst.* Tom. II. P. II. §. 2. Haec, ut ut ita se habeant, nihilo tamen secius numero venenorum excludi haud possunt, quae ab hisce ab ludunt, atque maiori quantitate corpori communicata, & post longiorem intercapedinem sanitati & vitae insidias struunt, quorum expositio subsequentibus Thesibus referuanda. Non possum tamen, quin, data hac occasione, historiis passim obuiis vix fidem habendam esse perhibeam, dari venena dicta delibatoria tantae actiuitatis, vt solo odore & furo vitam adimere possint, quando relatum legimus, epistolam hisce illinitam, hanc resignantem interficere, posse, vid. HELMONTIUS in *tumulo pestis* p. 219, & JOH. BAPT. PORTÆ *Magia natur.* L. II. c. 19. p. 155. Praeparatio namque istius generis veneni, inevitabili exinde surgente exhalatione beneficum itidem extinguere valeret, licet concesserim, medianibus chirotecis, indusis, capillamentis, aliisque cuti immediate admouendis rebus, per poros eiusdem virus deleterium communicari posse. Quod venena lenta adtinet, quorsum referendus famosus ille gallorum puluis sic dictus successionis, ea non adcipienda esse censeo, ac si diu in corpore absque molestia latitare, & demum certo & determinato tempore effectum lethalem exserere possent. Haud enim corpus nostrum cum horologio comparandum, suscitabulo instructo, & ita dirigendo, vt determinata hora, strepitum edat sonorum euigilandis dormientibus destinatum. Effectus siquidem istius generis veneni in eo consistit, vt successive oeconomiam animalem turbet, varias excitet aegritudines sensim invalescentes, donec exhaustis viribus & corruptis partibus organicis, mors subsequatur. Hae mutationes in omnibus individuis certum non ob-

B

ser-

seruant tempus, sed pro modulo virium & constitutionis partium corporis, nunc citius nunc tardius intoxicatum pessundant.

THES. IIII.

Habentur passim venena, quae titulum minus iuste sustinent, sed omni deleteria qualitate destituta deprehenduntur.

SCHOLION.

Non tantum a vulgo, verum & a medicis olim varia catalogo venenorū fuere inserta, quae experientia & rite institutae obseruationes ab hac suspicione, praejudiciis saltem suffulta, liberauit. Nemini ignotum, serpentes, morsu hominibus & brutis virus summae aetuitatis communicando, exinde pro venenatis fuisse habitos, quando nihilo secius carnes horundem, anguillarum instar, innocue consumi possunt, immo in iure gallinaceo, ad vitia lymphae corrigenda v. g. in elephantiasi & lepra, a medicis in ysum trahi solent, & theriacam Andromachi, in formam trochisorum redacti, ingrediuntur. Eadem valent de scorpionibus, araneis, bufonibus aliisque insectis, vt pote quae non nisi ira incensi, succos fundunt perniciosos, hac autem fedata, tali virulentia destitutos; parili propemodum modo, ac haec phaenomena ab hominibus, canibus, felibus, gallis gallinaceis, aliisque insontibus caeteroquin animalibus, obiecta lacescentia morsu vexantibus passim deprehenduntur. Confer. Disp. Ill. Dni Praesidis de mutationibus humorum ab animi pa-

thematis. In historia Medica versatos latere non potest, quam diffamata quondam in Gallia fuerit antimonii crudi usuratio, ita vt a suprema regni curia, quam Parliament Galli vocant, fuerit peculiari edicto, graui sub animaduersione, interdicta, quod minerale hodierni Medici, praeceunte in primis KUN-

KE-

Cap. I. Generalia morita de venenis praemittens. 11

KELIO, metu sinistri successus vacui, intrepide aegrotis porrigere solent.

Fortassis incongrua denominationum Arsenici & Auri-pigmenti in scriptis Medicorum deprehendenda confusio, quando Auripigmentum Arsenicum citrinum passim nuncuparunt, ansam suppeditauit, auripigmento pariles cum arsenico qualitates attribuendi: quam hallucinationem sotadicam primus detexit HOFFMANNUS in Disputatione de erroribus circa venena vulgaribus.

Sic dictum argentum viuum, siue Mercurium curren-tem, olim itidem inter venena numeratum, interne ad libram & quod excurrit, sine noxa deglutiri posse, experientia multi-plex docuit.

Tandem lapidis Magnetis, Cinnabaris factitiae & nativae, scoriarum ferri, seminis Vrticae, aliorumque huius com-matis plurium mentio iniicienda, quae ab EBERHARDO GOE-

KELIO in libello de *venenis*, classi toxicorum, sed perperam suis-

se inserta deprehendi.

THES. V.

Varia, versa vice, offenduntur corpora interne-cinum effectum haud raro excarentia, nihilo tamen minus classi venenorum vulgo non adscripta.

SCHOLION.

Quandoquidem potior pars huc spectantium veneno-rum, haud statim ab assumptione horundem, noxiā indolem ma-nifestat, licet tarditatem ut plurimum grauitate compenset, & quando partibus tam solidis quam fluidis intimius innidulauit, nullo artificio, nullisque antidotis extirpanda, sed lenta tabe tandem interficit, emergentia ab hisce symptomata aliis causis fortuitis, vel procatarepticiis plerumque attribui solent, pree-

B 2

ser-

certim, quando non indistinctim, nec in omnibus individuis effe-
ctus deleterius obseruatur. Huc referendum censeo vitrum in
pulverem contritum, utpote quod non tantum olim a Medicis
v usurpatum, teste GEOR. FRANK. a FRANKENAU *satyrarum
medicarum VI. p. 320.* sed & adhuc hodie vulgus ad repurgandum
ventriculum, contra febres intermittentes, & nescio quasnam
aegritudines passim porrigitur suevit. Tametsi haud in quibus-
cunque subiectis tragicus ab assumto hoc nefando remedio subse-
quatur euentus, in primis in iis, quorum primae viae mucagi-
ne obductae, scindentes has moleculas quodammodo obducere,
& successivæ ex corporis pomoerii proscribere valent, nihil
tamen secius teneriores & sensibiliores, ventriculi atque intesti-
norum, fibris lympha minus viscida illinitis instructi, molestam
irritantium vitri cùspidum perferre nequeunt, quin breui ab-
hinc persentiscant dolores ventriculi pressorios, cardialgiam
summam, conatus vomendi, in euersiones ventriculi frustraneas
desinentes, & nisi debitissimis administratis moleculæ hæ heteroge-
neae, & nullo artificio solubiles eliminentur, ex gangraena &
sphacelo inde suboriundis, fatis cedere coguntur. Si pulueri
fragmentorum adamantis praedicatum veneni lenti & famosi
pulueris successionis competenteret, sane ex nulla alia caussa, quam
quaæ de vitro adducta est, vim vitae adferre potis esset, quia
ex duritate eminente nullo modo solutionem admittit.

Commemorandum porto gypsum, ex specie alabastrum, median-
te calcinatione paratum, & cum calce viua in coagulatione & con-
densatione admodum conueniens, ita ut ad fistulas vulneratorum
haemorrhagias, albuminioui intermixtum, cum fructu applicari
possit; interne tamen adsumtum, summam minitatur perniciem,
nullis fere administratis tollendam, quatenus orificia vasorum la-
etorum obstruit, sese plicis ventriculi & intestinorum insinuat,
ac in iis lapideam duritatem induit, cuius consecaria sunt atro-
phia, obstipatio alvi summa, tympanites, tandem febris lenta
in

in hetricam desinens. Tali ratione integrum Imperatoris CON-
RADI III. exercitum fuisse deletum, SABELLICUS *Histor. libr.*
IV. Aenead. VIII. p. 705. memoriae prodidit, quando Imperator
Bizantinus EMANUEL gypsi puluerem farinae intermixtum in
panificia misit, ea intentione, ut hostium praeda euaderet fu-
nesta. De calce viua eadem dicta suntu, licet aqua exinde per
infusionem parata sit innocentissima, & eximii usus tam interni
quam externi.

A nocua gypsi indole haud multum abludit argilla
illa cretacea, hinc inde in cryptis montium reperibilis & a vul-
go, tempore inediae pro farina habita, quam cum farina fru-
mentaria subactam & in panem coctam, famis extinguedae
ergo, consumxit, verum, quod ab illa, loco speratae nutritio-
nis, atrophia, obstrunctiones glandularum mesenterii, constipa-
ta aluus, tumores abdominis, mensium sufflaminatio, aliaque
sontica mala fuerunt suborta, auctoritate magistratus, morbo-
rum exinde resultantium certioris facti, fodinae hae obturari
demum debuerunt. Confer. *Annal. Wratislav.* ao. 1720. mens.
Febr. Class. III. Art. 8. p. 196. Ex eodem fonte damnanda virgi-
num nonnullarum consuetudo, quae, ut pallorem, vel ut
persuasum habent, candidam cutim sibi concilient, cretam de-
uorare solitae sunt, sed poenam stultitiae suae cachexia, leuco-
phlegmatia, chlorosi, fluore albo, & non raro praematura
morte pendere coguntur.

In primis hucreferriri meretur plumbum, & ex hoc con-
fecta tam medicamenta, quam utensilia varia, a quorum usu
promiscuo plura enata damna, quam quis crediderit. A sco-
po mihi praefixo alienum, sigillatim recensere qualitates hu-
ius metalli deleterias, hinc sufficiat in genere i com-
memorasse, iamiam veteres medicos, aquam per plumbeos cana-
les ductam, paulo diutius in eisdem commoratam, san-
tati maxime infensam iudicasse v. JOH. LANGII epist. medic.
B 3 libr.

14 Cap. I. Generalia monita de venenis præmittens.

libr. I. epist. 44. p. 199. Parili ratione methodus in Act. Wratisl. 1725. Clas. I. Art. 2. p. 208. descripta, oleo raparum, mediante coctione cum aqua, in vase plumbeo, saporem olei amydalorum dulcium conciliandi breui exoleuit, cum nimis cito noxae huius mangonisati olei fuerint detectae.

Quas calamitates temeratores vini, additione lithargyrii, saporem eius austерum in suauem & amoenum commutantes passim intulere, neminem forte fugere poterit, de quibus ex instituto egit JOH. ZELLERUS in disput. de Docymasia, signis, causis & noxa vini lithargyrio mangonisati Tübing. 1707. habita.

Omnia vero praeparata ex saturno, virulenta indole superat sic dictum eius saccharum; hoc enim abominandum medicamentum nomen veneni lenti & temporarii condigne sustinet, siue solum, siue cum aliis commixtum exhibeat, obstruit enim vascula capillaria, genus neruosum laedit, sufflaminat secretiones & excretiones naturales, & contabescientiam, lentae mortis sociam, inducit. Ex qua ratione famosa illa tintura antiphthisica GRAMMANNI; quae saccharum saturni pro basi agnoscit, in sistendo sanguinis fluxu per pulmones, gonorrhœa, & pollutionibus nocturnis celebrata, a circumspectis Medicis hodie in usum trahi non solet. Data hac occasione non possum, quin commemorem, a nostris oenopolis & aromatariis fere omnibus spiritui vini gallici intermixeri saccharum saturni, ea intentione, ut colorem ejus flavescentem, vetustatis ipsius testem, in aqueum & limpidum commutent, hacque illicita adulteratione, facile detegenda, sanitati bibentium haud leue adferunt præiudicium, successive saltē, colica sic dicta saturnina in sensu incurrens: quae conamina a magistratu, graui sub poena, forent interdicenda.

Stannum quod concernit, in se quidem deprehenditur innocentissimum, ita ut a Medico Anglo RICH. MEAD tamquam

quam specificum anthelminticum ad lumbricos latos expellendos fuerit commendatum. Quatenus autem a stannariis additione plumbi, cupri, reguli antimonii, arsenici, marcasitae, Zinci, aliarumque rerum, tam ponderis augendae, quam caloris exaltandi ergo, ut plurimum mangonifari solet, eatenus a consortio venenorū non potest excludi, prout perdocte exposuit Cel. BUCHNERUS in diss. *de circumspecto usu vasorum flanneorum ad potuum ciborumque, speciatim ex ovis confundorum, praeparationem necessario Halae 1753. habita.*

De cupri, & ex hoc paratorum vasorum coquinariorum, noxiis qualitatibus, ante aliquot annos in Suecia aliisque regionibus, magnum fuisse rumorem, in recenti adhuc existit memoria. Euanuit autem ille metus panicus, quando rite institutis examinibus, euictum, sola liquidorum, in primis acidorum, in eisdem mora, partes cupri a vasis secedere.

THES. VI.

Venenorum complurium elementa nondum sat in apricum producta sunt, nec modus operandi a priori semper determinari potest.

SCHOLION.

Magnus venenorū numerus cum medicamentis sic diffīcītis specificis hoc habet commune, quod virtutem quandam specialem & evidentem exserat, cuius tamen ratio haud ita facile detegenda. Innumeris obseruationibus notum, corticem peruvianum, china chinæ dictum, quascunque febres intermittentes certo profligare, & vim sphaceli a caussis internis oriundis infringere: Arnicam veram sive Doronicum, plantaginis folio alterum, sanguinem congrumatum in internis partibus

bus corporis hospitantem eminenti modo resoluere &c.; sed & nemini huc usque contigit, ut, vel sensuum adminiculo, vel analysi chemica, partes horum specificorum constitutas, a quibus effectus tales primario deriuandi, & operationis indolem apodietice enucleare valeat. De venenis sat multis eadem sunt dicenda: Effectus eorundem perniciosus & saepe praesentaneus in oculos incurrit, sed modus agendi nondum perspicitur, quam occupati passim fuerint Medici indagandis horum qualitatibus. Laudanda sunt tentamina & experimenta, quae JO. ADRIANUS THEODOR. SPROEGEL circa varia venena in viuis animalibus instituit & peculiari dissertatione Goetting. 1753. habita cum orbe erudito communicauit. Verum nil, praeter certitudinem ab illis oriundorum symptomatum, detegere potuit, caussas silentio praeteriens. Abstrusissimum in primis videtur negotium venenorum relatuorum, quorum in Thes. II. mentio iniecta, cum in hunc usque diem nulla ratio sufficiens inueniri poterit, cur huic animalium generi tam sint infensissima, & alteri non tantum innocua, quin in nutrimentum cedant palato gratum.

Plerique Medicorum, monente LINDESTOLPE libr. cit. p. 28. venena dispescere solent in corrosiva, obstruentia, & narcotica; verum praeter triplicem illum operandi modum, adhuc alias deprehenditur inexplicabilis: Nuces vomicae partes nec obstruentes, nec corrosivas, nec narcoticas in se continent, nihilo tamen seculis feles, canes, aliaque animalia consimilia breui interficiunt: Telae Indorum succo venenato delibatae hominem & bruta ab illis petita illico interimunt, teste FRANC. RHEDI in *obseru. de vipera* p. 33. Et si indolem ipsius arsenici, famosissimi & usitatisimi veneni, rite considerauimus, hanc non in sola erosione partium, quas tetigit, sed simul in eita mortificatione harundem deprehendemus, quam sectiones legales ab hoc veneno interemtorum tantum non semper detexere.

texerunt. Dantur corrosiva, arsenicum longe superantia, nihil tamen secus, nisi modum excedente dosi fuerint adhibita, deleterium effectum non exserentia. Aqua fortis, tamquam extremitum corrosivum, cum sufficiente copia aquae diluta non modo nullum detrimentum corpori adfert, sed certis circumstantiis, e. g. in maniacis, ad aestum sanguinis temperandum, cum fructu propinari potest; quis vero auderet, arsenicum parili quantitate absque dispendio sanitatis & vitae cuidam exhibere. Haud adeo ignota est intoxicandi methodus, arsenico in aqua decocto aliquem de medio tollendi, quo sum spectat sic dicta aqua della Tofnina vel Toffania dicta, a benefica muliere Neapolitana inuenta, vid. HOFFMANNI *med. rat. syst. T. II. P. II. c. 2. §. 19.* Possem plura huius commatis exempla in medium proferre, sed sufficient haec, ex quibus eluescere arbitror, delitescere adhuc in venenis nonnullis, praeter tres supra memoratas facultates, admodum subtile, partibus corporis celerrimo motu se insinuans virus, quod generi nervoso in primis, inexplicabili modo, perniciosum esse videtur.

THES. VII.

Omnia medicamenta certo respectu venena dicenda, & omnia venena dextre & prouide usurpata medicamentis adnumerari possunt.

SCHOLION.

Innocentissima & omni deleteria indole orbata medicamina, intempestive vel nimia quantitate usurpata, oeconomiam animalem turbare, & sanitati vitaeque offendiculo esse posse, in prooemio iamiam indicatum. Immo vero validiora, & motus partium solidarum & fluidarum, harumque qualitatem diversimode alterantia, indolem venenorum induere posse, experientia multiplex comprobavit. Emetica, heroicum medica-

C

menti

menti genus, praesentaneam subinde opem, sub deprauatione ventriculi a cibus dyspeptis, opplitude pectoris suffocativa & mucida, apoplexia ferosa, febris nonnullis tertianis, philtoris assumtis &c., ferre possunt. Quodsi autem neglectis contra indicantibus, praesente v.g. vertigine sanguinea, asthmate spastico, adfectibus hypochondriacis, hystericas, podagrivas & nephriticis, supprellione mensium & haemorrhoidum propinatur, quae temeritas est empiricorum, idem est, quae venenorum actiuorum, effectus, ut bis peccare raro licet. Haec praesertim valent de iis, quae ventriculum grauiter conuellunt, & generi neruoso infensissima sunt; quorsum referenda stibiata tantum non omnia, & haec inter adhuc hodie usitatissimus Tartarus emeticus, quem nonnulli ex intensiori effectu das weisse Gist adpellare solent, Gilla Theophrasti, radix Ellebori albi, Afari, folia Gratiolae, aliaque huius commatis plura.

Purgantia, vomitorii quidem mitiora, a consortio tamen venenorum minime excludenda veniunt, quando motus spasticos intestinorum excitando, tonum horundem relaxant, circulum humorum & sanguinis turbant, viresque, sub exclusione nimia succorum, non tantum recrementiorum, verum & laudabilium, admodum debilitant, quinimo inflammationibus periculosis viam pandunt; quae ratio fuit, cur BONTEKOE, GEHEMA, aliique Medici, purgantia Medicinische Mord-Mittel nuncupare, non dubitarunt. Huc imprimis pertinent sic dicta draistica, olim magis, quam hodie familiaria qualia sunt radix Ebuli, Turpethi albi, Cyclaminis, Bryoniae, Ireos nostratis, Colocynthis, & ex hac parati trochisci Alandalii, Gummi Guttae, Laureola, Soldanella, resina Ialappae & Scammonii in maiori dosi, & vehiculo aquo praecepitata assumta; ex compositis Extractum panchymagogum Crollii primae descriptionis, Pillulae hydropicae Bontii &c. Nisi tempore parcerem, anthelminticorum, sudoriferorum, diureticorum,

em-

emmenagogorum, saliuantium, motus excitantium & sopientium, adstringentium commentarium hic scribere possem, quae secundum praecepta rationalis medendi methodi non administrata, loco speratae salutis, sanitatem p̄fundare & aegrotos vita priuare possunt.

Quae cum ita sint, quidni venenis versa vice virtus medicamentosa attribuenda, modo a perita artificis manu prouide & circumspēcte dirigantur, in primis, quando vehementia morbi, vel eius refractaria indoles efficaciam aliorum medicaminū illudit. Summum Creatorem haec operosa corpora non in perniciem, sed emolumentum hominum condidisse, iam thesi prima stabilitum; insimul autem facultatem hisce concessit, noxas ex venenis alias redundantes, certis encheiresibus, quās ratio & experientia suppeditant, auerruncandi, & efficaciam eorundem ita moderandi, vt, non nisi salutaris & proficua esse queat. Hi fuere conatus modernorum medicorum, vt variis tentamībus & experimentis cum venenis, tam in se ipsis, quam aegrotis, summa cum cautione institutis, quid in morbis conclamat̄is valeant, certiores redderentur, de quibus in sequenti capite vberior erit differēdi locus.

CAP. II.

Methodum medendi per venena tradens.

THES. I.

Ad usum venenorum stricte sic dictorum non prius confugiendum, quam sub morbis, remediis mitigioribus non obsequentibus.

C 2

SCHO-

SCHOLION.

Quae regula ab omnibus clinicis obseruanda, non opus esse heroicis & drasticis remediis, quando leniora sufficiunt, haec praesertim valet de methodo medendi per venena; ad hanc etenim non accedat Medicus, nisi sub effectibus refractariis, quae omnem adhibitam medelam illusere, quorsum pertinent scabies rebellis, lepra, elephantiasis, scirri confirmati, carcinomata, radicata lues venerea, vlcera phagedaenica &c. Sub his siquidem circumstantiis anceps remedium praefat quam nullum, modo caute adhibendum.

THES. II.

Non promiscue venena quaevis in usum trahat Medicus, sed selecta, & vel experientia fide digna probata, vel ita comparata, ut si non iuuuerint, tamen haud nocere possint.

SCHOLION.

Ingentem esse venenorū catalogum, omnibus naturae ruspatoribus & physico-medicis ignotum esse non potest. Empiricum proinde ageret Medicus, si quando illotis manibus ad quaecunque obuia confugere vellet. Solent toxica dispesci in classes, ex his ergo, quae certae classi adnumerantur, mitiora prius eligat, hisque insufficientibus, pedem ad fortiora promouere poterit, modo morbo curando haud offecerint, tunc enim praefat ab ulterioribus hisce conaminibus abstinuisse. Tentamina, cum brutis instituta, magis curiositatem sapiunt, quam ut Medicus fructum exinde capere possit, cum enim plurima pars venenorū sit relativa (vid. Thes. II) ab operationibus horundem in animalibus ad homines non valet consequentia. Eadem dicenda de medicamentis fortiter operantibus; sic crocus

me-

metallorum equis in sat magna quantitate infundi potest, absque vlla subsecutura emesi, ecquis vero auderet, illum ad pauca grana hominibus propinare? Certiore ergo, sed & insimul periculo propriæ sanitatis non vacantem modum, effectus venenorū expiscandi, amplexi sunt nonnulli Medici, illa ipsimet adsumentes, ut extra dubium addiscerent, quae mutationes ab hisce in corpore humano subsequantur. Talia conatus est TIBER. LAMBERGEN, qui cancrum mammarum curaturus, & ysum Solani furiosi internum a quibusdam Medicis commendatum deprehendens, porrigerere illud ante non ausus est, quam forbillata eius, sub forma infusi, certa portione, vid. eius *Lect. inauguralis* sistentem *ephemeridem sanari carcinomatis Groening.* 1754 editam. Idem ANTON. STOERCK Medicus Viennensis, qui Cicutæ succum usurpandum primo cani, postmodum sibi ipsi obtulit, & nil sinistri ab eius adsumtione persentiscens, intrepide ab aegrotis hauriendum curavit vid. eius *Tract. de Cicuta cap. I. p. 10.*

THES. III.

Venena ita temperari ac coerceri debent, ut pernitiosum effectum in corpore humano non exerceant.

SCHOLION.

Iam ab antiquissimis temporibus in eo desudarunt Medici, ut indolem remediorum drasticorum corrigerent, haecque blandiora redderent. Methodum Elleborum album maniacis porrighendi, iam HIPPOCRATI notam, & Elleborismi nomine venientem, certis encheiresibus stipatam fuisse, vel exinde liquet, quod haec radix non absque insigni damno dari possit; dolendum autem, quod correctiones hae ad nos non peruenient, licet ex ACTUARIO referat GEOFFROY in *Mater. med.*

C 3

dic.

dic. Tom. II. Sect. I. Art. XVIII pag. 75. partem radicis fibrosam reiecto capite, in aqua macerata, corticem detractum, & separatum a tenui quae ipsi subest medulla, in umbra exsiccatum, postmodum ex passo & oxymelite, cum odoratis seminibus permixtum, fuisse exhibitum. Quaecunque venena vegetabilia cum vomitoriis & purgantibus, ex regno vegetabili desumptis, in eo coincidunt, vt tortura coctionis perfectae, mitiora reddantur, & tandem fere sterilia euadant; quae est ratio, cur Medicis eccropotica, v.g. Rhabarbarum, folia Sennae, sola infusione & digestione praeuia, propinanda esse suadeant. Idem proptermodum effectus obseruatur, quando exsiccata, & aeri diu exposita sunt. Radix Asari post moram trium circiter annorum ita mitescit, vt cum radice Ipecacuanhae symbolizet. Sium palustre alterum, foliis serratis, & eius radix, nostrarium vegetabilium venenatorum acerrimum, exsiccatum omnis violentae qualitatis expers redditur. Quae Gas narcoticum in se continent, mediante fermentatione ita coerceri possunt, vt, hac diutius iusto protracta, omni ipsis competente efficacia destituantur. Hinc NEUMANNUS in *prael. chymicis Part. III. cap. CXIII. p. 973.* noxas ab opio oriundas, fermentatione, ad annum usque continuanda, arceri posse docet; qua ratione multum de principio agente, quod nonnulli spiritum rectorem vocant, amittit. Sunt inter venena, quae additione aliarum rerum domari possunt. Mercurius sublimatus trituratione & sublimatione noua cum Mercurio currente, in egregium commutatur medicamentum, Mercurii dulcis nomine veniens. Arsenicum album additione anatiae quantitatis sulphuris cicatratur, vt modum, venena varia vegetabilia acidis subiugandi, iam non commemorem. Sola tandem dilutione partes venenorū actiuae ita disiungi possunt, vt euadant salutiferae, proti videmus de Mercurio sublimato, qui refracta dosi in spiritu frumenti solitus eminentissimum in nonnullis conclamat morbis suppeditat medicamentum, de quo in subsequentibus agendum.

dum. Spiritus acidi minerales corrosui, & ex his concentratissimum sic dictum Oleum vitrioli, sufficienti aquae quantitati instillatum, phlegmatis vitrioli temperiem induit, & sine metu sinistri euentus, in morbis aestu grauibus adhiberi potest.

THES. III.

Ante propinicationem remediorum, veneni naturam habentium, corpus rite praeparari debet.

SCHOLION.

Breuis esse potero in explicanda hac regula, quippe quae ad medendi methodum generalem pertinet, & sub curationibus maioris momenti numquam non praetermittenda est. Primae viae, saburra vitiosa refertae, conuenientibus remediis, a quisquiliis, remoram medicamentorum exhibendorum operationi iniicientibus, repurgandae. Plethora constitutio, proportionata sanguinis ventilatione imminuenda; febriles motus, imprimis a morbo curando non oriundi, ante compescendi; ca-cochymia, si aegritudo dilationem curae permiserit, conuenientibus adminiculis corrigenda; consuetae euacuationes suppressiae, nisi inuincibile obstaculum adfuerit, reuocandae, & sic porro.

THES. V.

In tabidis, hectica colliquatiua, febris acutis, nimio sanguinis profluuo laborantibus, decrepita senectute constitutis, & grauidis praestat ab hac medendi methodo abstинuisse.

SCHO-

SCHOLION.

Potior venenorum pars est actiuae indolis, violenta quadam ratione corpus & eius partes, tam solidas quam fluidas, maxime vero genus nertiosum valide adficiens (Thes. II.) In subiectis proinde minimum firmitatis, minimumque virium habentibus, quales sunt heclici, tabidi, non possunt non esse exitiosa. Sub profluiis sanguinis immoderatis, motum eius adaugendo, euacuationes has facile reddunt profusores; febrium acutarum typum, non sine metu sinistri successus, reddunt irregularem; grauidas in periculum abortus praecipitant, & in subiectis extremae senectutis, vasis plurimam partem conglutinatis, fibris rigidioribus, & spissis sanguine, lentum cursum absolvente instructis omnis spes salutis decollat.

THES. VI.

Inter venena vegetabilia, eminentis virtutis, & vsu recepta, numeranda veniunt Nicotiana, Opium, Solanum, & ex eius speciebus furiosum dictum, Cicuta.

SCHOLION.

Mirabuntur fortassis haud pauci, praesertim Tabacophili, me Nicotianam catalogo venenorum inseruisse, cum nulla propemodum res reperiatur, tam diffusissimi, & per totum fere orbem se extendentis usus, quam haec ex America primum ad nos delata herba, quae homines occulta quadam delestatioне adeo adficit, ut qui illi semel adsueti sunt, difficile postea abstineant. Nec desunt praecones eius permulti, qui secundum versiculum:

Nulla salutifero se comparat herba Tabaço
Viribus his omnes exsuperat reliquas.

Ean-

eandem ad coelum vsque, tamquam polychrestum euēhunt; quos inter nuncupasse sufficiat antesignanum supra iam nominatum CORN. BONTEKOE, vtpote qui in Tract. vom Leben, Gesundheit, Krankheit und Tod p.m. 376. nihil ad vitam & sanitatem conseruandam, ipso Tabaci fumo, praestantius vñquā inueniri asserit. Tametsi virtutes Nicotianaē medicas in dubium non vocauerim, nihilo tamen secius, vel ex eo delete- riam indolem prodit, quod cum anxietate summa combinatas turbas, ἀναρράγεται se exferentes, excitare sueuit, & median- te fistula fumum eius prima vice adtrahentes, obnubilationem sensuum, sudorem circa frontem frigidum, tremorem labiorum, & subinde vomititiones experiuntur, luculentissimo te- stimonio, possidere hanc herbam qualitates, naturae nostrae satis infensas, temporis tamen tractu, sub repetito eius vsu, in con- suetudinem venientes. Inest siquidem eidem vis stupefa- ciens, & genus neruofum ingrata quadam ratione adficiens: vnde est, quod & in adsuetis, usum fumandi moderatum in ab- usum convertentibus, scotomia, vertigo, appetitus deprauatus, veterus, imo apoplegici insultus fuerint deprehensi, qualia exempla collegit BARTHOL. ZORN in Botanol. medica p. 660. Virtutes ergo medicas quod concernit, missis hyperbolicis eius laudationibus & vituperiis, a praeiudiciis liber, ob vim emeti- co catarcticam, ab interno eius usu plane abstinentum esse ar- bitror, nisi fortasse extractum eius, diuturniori coctione praepa- ratum exceperim, quod in tussi phthisica & ferina sedanda, ad pauca grana propinatum passim commendare solent Medici; sed quoniam in sensibilioribus facile conatus vomendi excitare soleat, vino aromatisato tollendos, praestat huius loco, tutiora feligere remedia. Solus proinde restat usus huius plantae ex- ternus, quem scopo proposito conformem, breuibus includam aphorismis.

Quatenus fumus Tabaci est apophlegmatisans, pi- tuitosis multo sero viscido abundantibus conductit, quod
D hac

hac irritatione, mediante scretu, copiosius excernitur.

Haud est remedium prophylacticum sub febribus malignis, & ipsa peste, nisi quod salviae excludenda prouentum promoueat libertorem, quae alioquin deglutita, miasma contagiosum sanguini & humoribus facilius communicare posset, eoque ipso symbolizat cum masticatoriis, radice Angelicae, Eulale, baccis Lauri, Iuniperi, Mastiche, aliisque, sub praesentia aegrotorum a timidis ore volutatis, quorum fiducia ab hisce remediis multum erigi solet.

Fumus tempore matutino haustus aluum reddit magis morigeram.

Odontalgiam & ophthalmiam serosam saepe compescit, & catarrhosas molestias quandoque tollit.

Masticatio, Tabaci Anglis nauigationi se mancipantibus familiaris, ex redundante oris squalore, dedecet viros ornatos, quod & de sic dictis nasalibus, ex contortis Tabaci foliis paratis valet. Prouti in coryza & grauedine puluis Tabaci, cum euphoria naribus adtrahitur, ita ab immodico eiusdem vsu nares & sinus cranii obstruuntur, atque odoratus imminuitur.

Enematibus incoctum obstrukiones alui, aliis remediis non obtemperantes, certissime aufert. Pariter fumus Nicotianae, mediante peculiari machina ano immissus pertinacissimas ventris suppressiones tollere, & eximiam opem in hernia incarcerateda atque malo Iliaco praestare potest.

Mundificans, sedativum & traumaticum constituit remedium, praesertim in ulceribus cacoethesis & cancerosis, ita, ut progressus cancri mammarum exulcerati, mediante eius deco-

Eto in aqua; addita pauca acetii vini quantitate, ad annos aliquot retardari possit.

In phthiriasi, & tinea, non semper absque metu infestacionis vertiginis & scotomiae, imo & euersionis ventriculi applicari potest. Notus est mihi vir iuuenis, qui suam amici cuiusdam, ad pediculos inguinales, Morpions dictos, fugaundos, decocto Tabaci pudenda fortiter lauans, ad tempus impotentiam virilem sibi contraxerat.

Opium, siue succum papaueris Turcici, numerum venenorum augere posse, vel ex eo liquet, quod criteria essentia toxicorum Thes. III. adlata, vere in eo deprehendantur. Hoc tamen non obstante, tot habuit praecones, quot osores, singulis ad experientiam prouocantibus. In amplissimum expatiarer campum, si quando momenta huc pertinencia sigillatim persequi vellem; quem laborem nuperime suscepit GEORG. YOUNG in *Treatise on opium founded upon practical observations*, ut & Cel. BALTHAS. LUDOV. TRALLES in consummatissimo opere *de usu opii salubri & noxiis* Tom. III. comprehenso. Hos duces, media via incedentes tuto sequi licet, ita ut non nimis ab usu huius succi deterreamur, nec caeco impetu ad tumultuariam eius adhibitionem prouolemus. Superuacaneum proinde foret, monita & pracepta, in scriptis his deprehendenda, hic repetere. Ne vero plane ασύμβολος videar, paucas subiungam cautelas.

Nisi summa necessitas efflagitet, opiate prius non exhibenda, quam causa materialis fuerit remota, induiae etenim per breve saltem tempus hisce impetrantur, & morbus, excluso narcoticō, fortius ad grauescit, indolemque acquirit magis pertinacēm.

In febribus acutis, praesertim circa dies criticos, plane ab opio abstinentur, quidquid aegrotus & adstantes urgeant, ut somnus concilietur, vel enim in deliria periculosissima incidit aeger, vel turbata & sufflaminata crisi, lethargo decedit.

Agonizantibus numquam opiate ad evitavasias porrigenda, pariter nec infantibus & pueris, quippe qui per totum vitae decursum, saepe numero, tardum exinde obtinent ingenium.

Methodus SYDENHAMI, qui a propinato vomitorio vel purgante, operationem sufficientem fuisse iudicans, statim opiatum subiunxit, ne materia peccans a sanguine ad ventriculum deuehatur, me quidem iudice, non facile imitanda, quia facile aliis exinde redditur admodum obstatipata, & sicubi modum fortassis excesserit euacuatio, aqua cinnamomi, vel vino aromatisato, vel adlicatione theriacae Andromachi externa, cum tantillo camphorae, motus hi facile compescendi. Sub vehementia dolorum spasticorum opiate non adeo conueniunt, fortius namque recrudescent, & aegroti abhinc habent, ut de mutatione sensationis naturalis in obtusum conquerantur. Exemplum sit parens ex colica, opatiis suppressa.

Pleraque opii correctiones coruos illudunt hiantes, sufficere, potest simplex eius extractum aquosum; ex compositis Diocordium Fracaftorii, Pillulae de Styrace & Laudanum liquidum Sydenhami.

Opiata versus tempus nocturnum commodissime dantur, quandoquidem post somnum placidum, mane, natura sponte ad adactam transpirationem inclinante, citius auolat.

Pauca grana extracti Panchymagogi Crollii, anatica quantiti massae pillularum de Styrace maritata, blande alutum mo-

mouent, vomitus compescunt nimios, & insimul tussim effrenem tuto moderare solent.

Vlteriori examine dignum censeo extractum Papaueris nostratis, ex succo eius expresso rite paratum, cedit namque opio narcotica indole, naturae nostrae magis videtur esse conforme, nec tam sonica ab eius usurpatione, vtut paulo liberiori, metuenda mala. De semine Papaueris adhuc indigitandum, vix aliquam in eodem detegi posse vim somniferam. Noui pueros, qui ex capitibus maturercentibus, illud summa cum delectatione, ad unciam semis & quod excurrit, preuia manducatione deglutiunt, nec somnificulosi exinde redduntur.

Ad *Solanum* quod adtinet, huius plurimas species virulentam prodere energiam, tristis subinde docuit experientia; quando incauti, baccas vel fructus huius comedentes, breui post conquesti sunt de siccitate oris, strangulatione faucium, deglutitionem impediente, anxietatibus praecordiorum, quas presso pede subsecuti febiles motus, insaniae & phantasiae depravatae iuncto, tandem in conuulsiones, spasmos, rigores, veternum & mortem desinentes, nisi tempestiu auxiliatrices adferantur manus. Haec symptomata deterruere medicos ab usu eius interno, empiricis hanc prouinciam relinquentes, quos inter Pastor quidam, in Parochia sua, dyserteria decumbentibus infusum baccarum solani vinorum cum euphoria propinavit, vid. *Ephemerid. A. N. C. Dec. II. A. III. p. 154.* Item aliis Viennensis, herba hac maniacos curandos sibi sumvit, teste HOYERO l.c. *Dec. III. A. VII. & VIII. p. 296.* & de Hottentottis legimus in BOECLERI *Cynos. mater. med. Part. II. cap. I. p. 55.* hos decocto solani pomiferi, frutescentis, spinosi, hydropicorum aquas per urinam educere solitos fuisse. Maiori interim confidentia, egregio successu comite, externus fuit exhibendi modus, in haemorrhoidibus caecis tumentibus, & potissimum in cancero

D 3

tam

tam occulto, quam exulcerato, aliisque ulceribus cancrōsis, do-
lores effrenes mitigandi, & ulteriore progressum foedae exul-
cerationis inhibendi ergo, adeo, ut ob virtutem sedatiuam,
promte ytpurūm se exserent, passim diuinum fuerit nun-
cupatum remedium. Imponuntur siquidem folia solani, nunc
integra, nunc in mortario plumbeo contusa, nunc succus ex-
pressus, vel solus, vel cum aliis adpropriatis rebus in formam
vnguenti redactus, quale est vnguentum Diapompholigos in
pharmacopoliis nostris reperibile. Praestans ille effectus ab aliis
consimilibus & anodynīs non obseruandus, dubio procul com-
mouit Medicos, vt de interna adhibitione eius cogitauerint.
Primitus de certitudine effectus nondum conuicti, suspensa ma-
nu hanc herbam in usum vocasse, exinde concludendum, quod
modum exhibendi expressis verbis non protulerint. Ita enim
IOH. JUNCKERUS in *Consp. Therap. General. a. 1725. edit. Tab. XVIII. p. 491.* loquitur: „nos folia Bellae donne in cancro vere
„deplorato certa methodo & parcissima dosi adhibentes, admis-
„rabilem prorsus eorum virtutum vidimus, sed cum alio exem-
„plo non aequa fructuosa reperta, nedum frequentioribus ex-
„perimentis probata sint, intempestiuum foret, de certa illo-
„rum salubritate quidquam diuulgare. Haud dilucidius multo
se expedituit D. OETINGER in diss. de *Bella donna tamquam*
specifico in cancro, in primis occulto, sub praesidio ALBERTI
1739. habita, lectores haud sufficienter, qua modum adhi-
bendi legitimum, informans. Tandem supra iam nominatus
LAMBERGEN, quantum quidem noui, primus methodum
enodate cum orbe medico communicauit, qua cancrum mam-
mae, occultum quidem, sed periculosum satis, & exulcerationi
proximum, infuso foliorum solani aquoso felicissime ita sustulit,
vt abhinc cum sanitate in gratiam perfecte redierit aegra.
Eandem viam postmodum ingressus est THOM. GATACKER-
RUS, qui 1757. ediditis obseruationibus, internum usum solani
exponentibus, multis adductis exemplis, ordine narravit, quo-
us-

usque tam in cancro occulto, quam aperto peruerterit. Laudanda sane huius viri integritas, quod non nimium huic herbae confisus, plures eidem attribuerit virtutes, quam vere in illa detexit. Haud enim addixit eidem energiam in cancro specificam, sed talem, quae per sudorem, urinam, & aluum potenter, & peculiari ratione, heterogeneitates ex corpore expellat, eoque ipso indirekte, carcinomate laborantibus magno existat praesidio, licet curam haud perfecte absoluere queat. Proinde credit, in hydrope cum fructu usurpari posse, quod binis adductis exemplis probare studet. Ceterum solanum hor tense, non tam impetuose, quam sic dictam Bellam Donnam operari, nec, nisi sub principio curationis, aegrotos de vertigine, dolore capitis, oculorum hebetudine & somnolentia conqueri monet, quae symptomata LAMBERGEN ad finem curae continuare recenset.

Cardo curationis in eo vertitur: Praemissis euacuantibus vniuersalibus, a grano semis, vel uno solani exsiccati incipiendum, cui vncia una aquae feruidae infundenda; raro ad quinque vel sex grana adscendendum, & si desideratus ab illis non insequatur successus, vel quando post secundam dosin symptomata exacerbantur, ab ulterioribus conatibus abstinentendum. Versus noctem hoc remedium in lecto propinandum, mane exinde subsequente largo sudore, & vrinae profluvio, alternatim nonnumquam se excipientibus, aluum itidem subsequente die solui, & si hoc non contigerit, laxans huic potionis intermissione vel subiungendum. Post secundum vel tertium diem exhibito solani non repetenda. Continuanda haec methodus, donec desideratus finis obtineatur, nisi symptomatum forte oriundorum grauitas contradixerit.

Licebit hisce addere binas plantas venenatas ad cancrum tollendum a nonnullis itidem commendatas. *Phitolac cam*

*cam Americanam foliis integerrimis, sive Solanum racemosum Indicum, ex quo succus exprimitur, & solis calore ad consistentiam vnguenti inspissatur, & semen Ricini succum in vase plumbeo foli expositum, donec olei spissitudinem obtinuerit, cuius vinciae vni scrupulus unus plumbi vsti, & totidem Mercurii cum aqua calcis viuae praecipitati albi adduntur, quod extollit WILLIAM NORDFORD in *Essay on the general method of treating cancerous tumours* Lond. 1753. Vtraque haec remedia cancro exulcerato imponuntur; verum experientia elogio prioris non subscripsit, & quid valeat ultimum, tentaminibus futuris relinquendum.*

Cicuta cum Solano eadem propemodum sustinuit fata, ut ob virulentas qualitates, plurimi Medici ab interno eius vsu abhoruerint, externum saltem admittentes, in resoluendis tumoribus induratis, infarctibus viscerum internorum, tophis podagrlicis, cancro exulcerato mundificando &c. Deprehenduntur quidem in monumentis medicorum passim vestigia propinatai huius toxicci remedii, v. g. in IUL. CAESAR. BARUELLI *hortulo geniali* p. 13. narratur: sacerdotes Athenienses, vsu huius, libidinis incendia extinguere consueuisse. IOH. RAIUS in *bistor. plant. vniuers. libr. VIII* p. 8. ex communicatione D. BOWLE, herbae exsiccate & puluerisatae usum in malignis febribus commendat. Virum litteratum, ad extinguendum sanguinis feroarem, & inde natam faciei rubedinem extirpandam, per octiduum, omni mane, succi cicutae circiter vncias tres cum saccharo delibasse, nullo alio symptome, nisi virium debilitate, nec tamen faciei pallore desiderato subsequente, referunt *Ephemerid. N. C. Dec. I. A. IV. obseru.* 106. Pariter MICH. ETTMULLER in *Schroederi dilucidat. phytologia* p. m. 30. de RENEALMO recenset, hunc non verum fuisse, Cicutam, partim in substantia a scrupulo uno ad drachmam semis, partim in infuso ad drachmas duas, idque felici

lici cum successu in scirrhis lienis & hepatis, vt & pancreatis
grauissimis porrigere, addita tamen epicrisi, *hunc solum usque*
eo audaciae adcessisse; cui subscriptit GEOFFROY in Mater. Me-
dic. Tom. III. Sect. II. p. 326. asserens: *prudentiorem esse Medicum, qui*
a Cicuta abstinet. Ante biennium autem supra laudatus D. ANT.
STOERCK Medicus Viennensis, ruptis praeiudiciis authorita-
tis & praeconceptrae opinionis, libello peculiari demonstrandum
sibi sumxit: *Cicutam non solum usu interno tutissime exhiberi,*
sed esse simul remedium valde utile, in multis morbis,
qui hucusque curatu impossibilis dicebantur. Vir hic
Cel. obseruatis egregiis herbae huius virtutibus externis,
succum in formam extracti redactum aegrotis, glandu-
larum scirrhis, ulceribus carcinomaticis, cancro mam-
marum aperto, fistulis sinuosis, carie ossium, cataracta, aliis-
que morbis, ex succorum heterogeneitatibus, & obstructionibus
oriundis, exoptatissimo successu propinavit, & prolatorum ve-
ritatem, viginti historiis omni fide & diligentia concinnatis, cor-
roborare annis est. Ex quibus concludendum, hanc herbam
ad resoluentia & deoppilativa pertinere, atque per intimos vas-
rum maeandros, sine uchementia, & motu humorum ad sensum
adaueto, transire posse. Quod autem nonnulli Medici, nihilo
secius nimis praeccipitanter, & seuere suam contra Cicutam
sententiam protulerunt, eamque, tanquam plantam inutilem
damnarunt; alii de Cicutae specie & charactere disceptarunt,
operae pretium iudicauit, in supplemento 1761 edito, eius ima-
ginem aere excudendam curare, & quod in priori opusculo non
clare determinatum, enodatius describere, & denuo viginti
duos aegrotos extracto cicutae curatos sistere voluit. His ob-
seruationibus incitati alii Medici itidem Viennenses, tamquam te-
stes oculati, IOSEPH. QUARIN, & MAXIM. LOCHER vesti-
gia antecessoris nominati persequentes, omni modo adlabora-
runt, vt de certitudine virtutum Cicutae nullum rema-
neat dubium, suaque detecta typis itidem mandarunt.

E Cor

-100

Confusio & inaduententia specierum huius herbae causa fuit, cur saepe numero scopo medentium satisfacere noluerit. Cicuta ergo genuina dicitur, praeeunte LINNAEO: *Conium caule maculato, semine subgloboso, quinque-friato, virimque crenato*, vel *Cicuta maior* TOURNEFORTII. Distinguendum ergo probe a *Chaerophyllo temulo caule fuso, petalis cordatis, & semine laeui*, atque *paululum oblongo instructo*, quod Conio nonnumquam intermixtum deprehenditur.

Quoniam secundum LINNAEI *Philosoph. Botan. Aphor.* 357. p. 283. plantae eiusdem speciei, ex locis siccioribus prouenientes magis sapidae, ex succulentis insipidae, & ex aquosis corosiuae magis deprehenduntur, consultum foret, huic herbae, pro maiori quantitate extracti obtainenda, peculiarem agrum conuenientem destinare.

Extractum parari debet ex succo herbae, sed non radicis, recenter expresso, & leni euaporatione, in vase fictili ampio probe vitriato, vel stanneo, ad iustum consistentiam pedentim coacto, cuius notae bonitatis color ex fusco viridescens, & odor mures domesticos, vel cantharides quodam modo redolens. Huius Extracti prima dosis est granum unum vel duo, quae paulatim augetur, immo, pro modulo virium aegroti & morbosí affectus ad drachmas duas adscendit. Supra iam memoratus LOCHER in *obseruat. pract. p. 92.* refert, feminam, cancro mammae exulcerato & refractario laborantem, singulis diebus drachmas duas huius extracti sieque spatio nonnullorum mensium, libras eius duodecim consumisse; unde sequitur, non tam facile ab vsu huius medicamenti desistendum, sed curam, donec conualecant aegri, ad plures menses continuandam esse.

Quia aluum raro mouet extractum, iuuabit leniora laxantia aliquando interponere.

Suppuratione laudabili obseruata, strenue in propinazione extracti perseverandum.

Opti-

Optime sub forma pillularum exhibetur, cum puluere herbae Cicutae formandarum, superbibendo vncias aliquot infusi Thée & iusculi alicuius non vinosi. Pillulas auersantibus in potiunculis solui potest.

Nullis indiuiduis nocet, quia pueris, grauidis, senibus, imo durante mensium & haemorrhoidum fluxu, tuto porrigitur possit.

Si quando adfectus indoles usum remediorum externorum insimul exposcit, ratione circumstantiarum, eius decoratum palmam reliquis praeripuit.

Haec de Cicuta adulisse sufficient, saltem adhuc addendum, Cicutam non infallibile nuncupari posse remedium, quoniam obseruationes virorum iam laudatorum docuere, fuisse nonnumquam indiuidua, in quibus desideratam opem ferre recusauit, licet tales casus inter rariores collocandi; & gratulari sibi potest ars salutaris de hoc detecto remedio, quod inexpugnabiles quosdam olim habitos morbos, insensibili propemodum ratione, superare valet; & caeteros aegrotos inter, scirrhis & cancro mammarum laborantes habebunt, ut laetantur, se recensita methodo tyrannidem secantis cultri effugere posse.

THES. VII.

Ex venenis, quae regnum minerale depromit, in usus medicos adhibendis, eminet Mercurius sublimatus, & Arsenicum.

SCHOLION.

Summa deleteria qualitas Mercurii sublimati arcuit a prima eius detectione, & nostra usque tempora, Medicos caeteros quin audaces, ab huius corrosui mineralis, quod & laminas candentes argenti perforare valet, interna adhibitione, ut ex ulcerationibus saltem externis, atque foedis in primis ulceribus venereis, cum aqua calcis viuae commixtum, nomine aquae

phagedaenicae destinauerint, vel nonnumquam, suspensa tamen admodum manu, sub forma vnguenti verrucas, & callos ulcerum eo absumentos fuerint conati. Dum Archiater Augustissimae Imperatricis Romanae, GERH. a SWIETEN, methodum primum detexit; Mercurii sublimati vsu interno, luem venereum & eius symptomata cito, tuto, & iucunde tollendi, confer. *Comment. Lipsiens. de rebus in scient. natur. & medicin. gestis Volum. V. Part. IIII. n. 19. p. 717.* Quam grauiter nimiumque, ne dixerim inhumaniter, macerati fuerint syphilites, qui tortura saliuationis, interdum repetitae, in Laconicis vel Caldariis, poenam effraenatae libidinis luere debuerunt, res est nota, atque apud omnes peruulgata; vt proinde Medici hodierni operam passim locarint in domando hocce, absque ptyalismo, sotnico malo, & licet conatus horundem, sub morbo nondum radicato, ad voluntatem haud raro successerit, tamen pluribus ambagibus, & cumulato remediorum adparatu opus fuit. Hisce caret memorata methodus, vtpote quae simplex magis dicenda, nec in oeconomia animali notabiles adfert mutationes, quin aegroti, negotia sueta, durante curatione, exequi, & robustiores, aëre existente calido & sereno, huic se exponere, imo itineri se committere possint. Recipiuntur ad drachmam semis Mercurii sublimati corrosiui bene triti, libracie quinque pond. medicinal. spiritus frumenti re&ificati, & relinquuntur in lagena vitrea ad solutionem Mercurii vsque, haecque semper obseruetur proportio, vt in singulis vnciis spiritus, contineatur Mercurii sublimati granum semis. Mixturae huius, mane & vesperi, aegrotis cochlear vnum, vel ad summum duo porriguntur, statim superbibendo libram circiter decocti calidi ex auena vel hordeo excorticatis, vel cum radice Altheae & Liquiritiae parati, tam saporis ingrati corrigendi, quam Mercurium magis diluendi ergo.

Nisi plethora constitutio adfuerit, vel vis scybalorum tubum intestinalium obsederit, venae sectione vel purgante
prae-

praevio non indiget. Quibus durante hac cura, excretiones naturales debite respondent, citius conualescunt, sub alio autem immorrigerat, lene purgans exhibendum.

Tamdiu cura continuanda, donec scopus sanationis perfecte fuerit obtentus, id quod ad summum, spatio binorum circiter mensum contingere solet, nisi radicatum malum & cum hoc combinata symptomata grauiora, prolongationem curae monuerint.

Potus itidem sufficiens curam longe breviorem & faciliorem reddere potest. Symptomata luis venereae, quales sunt bubones ad suppurationem tendentes, vlcera callosa, sinuosa, & cancerosa, tophi, phimosis & paraphimosis, condylomatata, marisci, carunculae viethrae &c. si non sua sponte cedant, tamen remediis conuenientibus externis simul adhibendis facilius obsecundant.

Anteferendum esse hunc curandi modum, omnibus aliis hic usque visitatis, vel ex eo colligendum, quod laudatus von SWIETEN l. c. refert, spatio unius anni, trecentos syphiliticos, absque saliuatione, ex uno nosocomio sanos exiuisse; & D. MAX. LOCHER in *obseru. præf. Cap. I. p. 34.* numerat horum 4880, qui in nosocomio ipsi concredito, octenario circumacto, parili ratione, ex turpi hac valetudine emersere.


Anceps haereo, an *Arsenicum*, quod cum Mercurio sublimato, qua deleteriam indolem, excepto solo sapore, perfecte coincidit, tantis laudibus sit ornandum. Obseruatum quidem, hocce virus ab usu interno non adeo fuisse exclusum, atque non modo ab Empiricis, quibus solemine, illotis manibus, & temerario ausu propinare pharmaca, perfaepe usurpari, verum & a Medicis, eidem inter febrifuga aduersus tertianam & quartanam, tamquam euporiston, & specificum quasi, reliquis omnibus, certitudine effectus, palmam præripiens, locum esse concessum, ita enim locutus est IOH. HADR. SLEVOGT


Prof.


Prof. olim Ienensis famigeratissimus, vid. eius *Propemticōn de Permissione prohibitorum, & prohibitione permīssorum*, Disput. IOH. IAC. BAYERI de *capillis* adnexum. Quando autem alii cordati Medici, monente STAHLIO in *opuscul. physico-medic.* p. 430. id Arsenicum febrisfugi nequissimi titulo insignivere, a quo prudens Medicus & conscientiae suae studiosus cauere debeat, haec tenus eius adhibitio fere exoleuit, ita ut vix & ne vix quidem, externis adfectibus v. g. carcinomatibus fuerit admotum. Donec *Actis Academique Electoralis Moguntinae scientiarum utilium*, quae Erfordiae est Tom. I. p. 216. D. IOH. CHRIST. IACOBI Dissertationem de prudenti usu Arsenici sale alcalico domiti interno salutari, inferendam curauerit, in qua sequentem methodum docet antipyreticum suum parandi: Recipit ad Arsenici partem vnam, aquae partes 168 & salis Tartari partes 12, haec cum inuicem mixta decoquit ad dimidiae aquae consumtionem, & facta refrigeratione, partem aquae euaporatae iterum addit, adiecto pauxillo spiritus vini, melioris conseruationis ergo; hocque decoctum infantibus ad guttulas 6--16, adultis ad gt. 30 exhibitum, salutares effectus praestitisse, nec damna vñquam ab eodem infecuta refert, quod nonnullis exemplis probare adnititur. A iudicio de hoc remedio ferendo merito me sustineo, crediderim tamen, salutem aegrotorum huic nondum satis probato medicamento non tam facile committendam esse, nisi forte, rite ponderatis omnibus circumstantiis, in nimis rebelli febri quartana, in subfidium vocari possit.

Mentio adhuc esset iniicienda venenorum ex regno animali, vim medicam habentium; verum angustia temporis & pagellarum ab hoc instituto abstinenterum esse monet. *Cantharides* hic locum occupare possent, at quidquid nonnulli Medici de virtute harum aphrodisiaca, in gonorrhœa virulenta &c. proferant, merito tamen ad vesicatoria tantummodo eas ablegandas esse censeo.









compescunt nimios, & insimul tussim effre-
e solent. examine dignum censeo extractum Papaueris
eius expresso rite paratum, cedit namque
ole, naturae nostrae magis videtur esse con-
ontica ab eius usurpatione, vtut paulo libe-
ralia. De semine Papaueris adhuc indigitan-
in eodem detegi posse vim somniferam. No-
capitibus maturentibus, illud summa cum
nciam semis & quod excurrit, preui man-
nt, nec somniculosi exinde redduntur.
m quod adtinet, huius plurimas species viru-
nergiam, tristis subinde docuit experientia;
oaccas vel fructus huius comedentes, breui-
nt de siccitate oris, strangulatione faucium,
ediente, anxietatibus praecordiorum, quas
uti febriles motus, insaniae & phantasiae de-
tandem in conuulsiones, spasmos, rigores,
em desinentes, nisi tempestive auxiliatrices ad-
Haec symptomata deterruere medicos ab usu
iricis hanc prouinciam relinquentes, quos in-
in Parochia sua, dysenteria decumbentibus
solani vinosum cum euphoria propinavit, vid.
Dec. II. A. III. p. 154. Item aliis Viennensis,
os curandos sibi sumvit, teste HOYERO l.c.
VIII. p. 296. & de Hottentottis legimus in
mater. med. Part. II. cap. I. p. 55. hos decocto
utescentis, spinosi, hydropicorum aquas per
solitos fuisse. Maiori interim confidentia,
comite, externus fuit exhibendi modus, in
caecis tumentibus, & potissimum in cancro

D 3

tam